

nulos unquam in se nævos agnoverit, se ab omni labe semper purissimum prædicarit & in errore lubenter perseverarit, crescentibus annis indies utique deteriorem fieri & semper in pejus ruere, constat. Pessima illorum hominum conditio est, nec facile corrigenda & dum sibi ab omni lapsu immunitatem fingunt, maxime labuntur, atque hac ratione id, quod contextum putarunt, magis magisque detegunt in propriam injuriam contumeliamque. Aliud prorsus judicium de iis, qui æque nævis multis commaculati defectus agnoscunt, serio de iisdem dolent & in iis emendandis omne studium ponunt, ferendum est. Illi recte excusantur, eriguntur, excitantur & eorum nævi teguntur. Ethæc est veræ charitatis qualitas, non ut detegat, sed tegat, quantum salva qvidem conscientia fieri potest, proximi nævos. Hæc dum scribo, verba Gen.c.IX. v.23. **וַיָּקֹחַ שָׁם וַיְפַת אֶת־הַשְׁמֶלֶת וַיִּשְׁמֹן** **עַל־שְׁכָם שְׁנָהֶם וַיָּלֹכוּ אֲחִרְנִית וַיַּכְסֹא אֶת עֲרוֹת אֲבוֹהֶם וַפְנֵיהֶם** in concione quadam die Mercurii a Dilectissimo Domino *Collega* habita nuperrime exposita, in mentem veniunt, utinam, exemplo Semi & Japheti, etiam alii pallio charitatis proximi nævos operirent & sic Dn. *D. Ofiandri* monitum h.l. Horum exemplo, majorum nostrorum (præcipue parentum) errata, quoad ejus sana conscientia fieri potest, tegenda sunt, non aliis spectatum proponenda, probe obser- varent.

## §. II.

Ut de viris, qui divinis fæse rebus addixerunt, quædam nunc in specie tradamus, instituti ratio requirit. Et illis quidem innumeros nævos, infirmitates atque defectus adhærere in propatulo est. Nobis historiam Patrum perlustrantibus passim in ea lapsus haud parvi momenti occurrunt, siquidem, quo longius ab Apostolorum tempore remoti illi